

## 1332-1332- OFP - Acta Capitulorum Generalium apud Divionum Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capitulo generalis apud Divionum celebrati  
 anno Domini · M° · CCC° · XXXII° ·

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capitulo generalis et provincialis, ubi dicitur: habeatur generalis capitulo diffinitor, addatur sic: volumus tamen, quod is, qui in precedenti capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi non valeat in sequenti.

### **Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris conventionalis, ubi dicitur: qui primitus habitum nostri ordinis suscepereunt, addatur sic: si tamen post professionem a nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per magistrum ordinis vel generale vel provinciale capitulum cum eis fuerit dispensatum. Et hec habet · ii · capitula.

### **Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de sollempni celebracione capituli, circa finem, ubi dicitur: magister ordinis cum assensu etc., deleatur: cum assensu, usque ad illud: transferre possit, et dicatur sic: magister ordinis vel eius vices gerens, de discretorum consilio, ad alium conventum provincie eiusdem transferre possit capitulum generale. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc: In ordinario in rubrica de memoris faciendis, ubi dicitur, quod in paschali tempore de cruce fiat memoria nisi in totis duplicibus, deleatur: totis duplicibus, et dicatur: in duplicibus et supra. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc, quod de sancto Thoma de Aquino fiat memoria per octavas ipsius in laudibus per antiphonam: Collaudetur, et in vesperis per antiphonam: O Thoma, cum versiculo et oracione consuetis. Et hec habet · iii · capitula.

Item hanc, quod de sancto Servacio episcopo et confessore fiant tres lectiones · iii · ydus maii, et magister ordinis curet interim de officio providere. Et hec habet · iii · capitula. Et hec omnia in locis suis in ordinario annotentur.

### **Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc, quod frater, qui non habet · iiii · annos a professione in ordine, prioris vel suprioris vicarius esse non possit in casu, in quo esset prioris vel socii electio celebranda et generaliter in hiis, que ad capitulum generale vel provinciale ordinarie sunt mittenda.

### **Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Volentes vitare notam et scandalum, que apud graves personas non immerito orientur ex inordinacione nostri habitus in quantitate et qualitate, imponimus, quod provinciales in suis provinciis et priores conventionales in suis conventibus cum omni diligentia studeant reducere fratres eciam per preceptum, si oporteat, ut in habitu nostri ordinis nichil habeant, quod paupertatem nostram valeat deformare, quinimo fratres omnes compellant portare habitum, in brevitate et parvitate caparum et capuciorum ac resecacione omnium curiositatum et superfluitatum, conformem ordinis nostri institutis. Et hec taliter exequantur, quod sequens generale capitulum certificari valeat, quod hec omnia per ordinem sint correcta.

Item. Cum ex nimia priorum ac fratrum absentacione seu subtractione a communibus hospicii ac aliorum locorum extra refectorium laxata frequencia, necnon et negligencia circa capitulorum ordinaciones ac regularia instituta in animarum suarum preiudicium et plurimorum scandalum, ordo noster nimium relaxetur, volumus et ordinamus, quod priores provinciales et diffinitores capitulorum provincialium anni presentis circa hoc adhibere studeant remedia opportuna; que remedia volumus per diffinitores generalis capitulo vel eorum socios portari ad sequens capitulum generale.

Item. Cum ex nimio studii lapsu probabiliter sit timendum, ne ordo noster veniat finaliter in contemptum, mandamus omni distinctione, qua possumus, quod nullus ad aliquem sacrum ordinem promoveatur nec ad studium loycale mittatur nisi in grammaticalibus nec ad studium naturalium nisi in loycalibus fuerit diligenter instructus. Ad studium vero theologie nullus mittatur, nisi predicta diligenter audierit et sufficienter profecerit in eisdem; lectoribus et sublectoribus universis districte imponimus, quod lectiones suas continent, ceteri vero fratres, cuiuscumque condicionis aut status existant, sequi scolas cogantur, magistris in theologia dumtaxat exceptis. Qui vero a scolis defuerint absque speciali licentia et expressa, ipsa die sine omni dispensacione vino et pitancia sint privati. Fratres eciam per priores vel eorum vicarios ante terciam a locutoriis penis gravibus arceantur. Nolumus eciam, quod fratres, qui fuerunt lectores in ordine et lectores actu non sunt, graciis lectorum gaudeant, nisi per magistrum ordinis vel priores provinciales eorum eis indultum fuerit de gratia speciali.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ut nullus frater de cetero quocumque modo, verbo vel scripto se placitis seu negotiis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventionali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur; nullusque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti

de guerris aut guerrarum negotiis directe vel indirecte presumat se intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Ad subtrahendum fratribus materiam evagandi, volumus et ordinamus, quod quicumque iverit sine licencia sui prioris provincialis ad magistrum ordinis, extra provinciam suam existentem vel ad ipsum magistrum in eadem provincia existentem, vel ad priorem provincialem vel eius vicarium sine licencia prioris conventionalis, cum ad magistrum vel ad priorem provincialem venerit, ex integro circuletur et sit per triennium omni voce privatus.

Insuper districte inhibemus, ne fratres extra terminos sui conventus sine sui prioris vel eius vicarii nec extra terminos sue provincie sine sui prioris provincialis vel eius vicarii obtenta licencia exire presumant; alias sint ad annum omni voce privati, nisi talis causa subisset, quam prior provincialis de discretorum consilio duxerit acceptandam.

Item. Cohibere volentes multitudinem fratrum ad capitula venientium, volumus et ordinamus, quod quicumque frater ad capitulum generale vel provinciale absque licencia magistri ordinis vel prioris provincialis sui accesserit, seu de conventu suo cum intencione accedendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitu non valeat, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et nichilominus volumus, quod tales in actis suorum capitulorum provincialium privati voce publice nuncientur, adiicientes insuper, quod diffinitores anni sequentis vel eorum socii litteras omnium fratrum suarum provinciarum volencium scribere ad capitulum deferre debeat et eas fideliter assignare.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu universis fratribus, ne frater aliquis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali, de qua per literas eiusdem magistri ordinis suo priori provinciali vel vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis se neverit incurrisse. Quam sentenciam prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli reservans et retinens. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire vel mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis provinciali et vicario generali provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus provincialis capituli modum inveniat, per quem refrenato fratum discursu illius provincie ad curiam, formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit ad curiam fratres suos. Quam ordinacionem teneatur provincialis vel eius vicarius et diffinitores magistro ordinis absque dilacione mittere, ut ipse eam modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu; adiicientes nichilominus, quod fratres missi a suis provinciis quoad omnia absque omni contribucione caritative in conventu curie recipientur. Ceteri vero fratres quoad locum tantum et quoad alia cum contribucione ibi alias iam taxata.

Item. Cum plurimi fratres ambitione detestanda elati sibi indebite honores querant et importune procurent per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, unde turbaciones et scandala sepius sunt exorta, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus procuret per se nec per alium, verbo vel scripto, officium, gradum, statum vel promacionem aliquam pro se vel pro alio in ordine obtainendam seu correctionem de se vel de aliis per maiores ordinis faciendam impedit vel impideat procuret quoquomodo.

Insuper eodem precepto astringit illos, qui quantum ad premissa procuraverint aliquem impediri vel ab adeptis nullatenus amoveri. Qui vero in aliquo predictorum contrarium fecerint, sentenciam excommunicacionis se neverint incurrisse; quam sentenciam prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem sibi reservans et retinens.

Item. Cum sanctissimus pater et dominus noster summus pontifex magistro ordinis et diffinitoribus capituli generalis apud Divionem celebrati litteras exhortatorias miserit pro fratribus sufficientibus ad gentes convertendas ad fidem Christi mittendis, significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis commisit singulis prioribus provincialibus, quod assignare possint quilibet · vi · fratres de provinciis suis, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis iuvenes nec antiquos, bene religiosos, discretos et sufficienter litteratos societati peregrinancium propter Christum. Qui sic assignati non possint redire ad suas provincias, quoisque ibidem experti fuerint, quem fructum per eos inter fideles Ihesus Christus fecerit; ipsique provinciales studeant quantocius magistro intimare, quos et quales de suis provinciis invenerint ad hoc opus; ordinantes, quod vicarius magistri ordinis super fratres, qui mittuntur ad gentes, in locis et conventibus de Pera et Capha instituat fratres, quos ad hoc habuerit magis ydoneos, qui de linguis et ydiomatibus fratres illuc missos instruere et informare valeant competenter<sup>1</sup>. Item. Committit reverendus pater magister ordinis prioribus provincialibus vel eorum vicariis, quod gracias per eum concessas vel concedendas circa sequelam chori vel refectorii et excusacionem a

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 178 l. 1 sqq.; loco “Divionem” l. 19 legas “Tholosam”.

questis faciendis vel bonis temporalibus procurandis possint modificare, declarare et interpretare, et illud, quod per eos ordinatum fuerit, vult, quod habeat roboris firmitatem.

Item. Cum non sine gravi scandalo personarum secularium aliqui fratres peditantes in capitibus capillos latos et rotundos ad modum equitancium deferant, necnon et cirotecas, que multum deformant humilitatem mendicancium et evangelizancium honestatem, omni districtione, qua possumus, imponimus fratribus universis, quod de cetero talia deferre non presumant. Quod si quis oppositum fecerit, volumus, quod una die in pane et aqua absque dispensacione ieiunet, et priores, quam cito eis constiterit, eos facere penitenciam supradictam cogant.

**Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus priores provinciales Romane provincie<sup>2</sup>, et assignamus eum Parisius ad legendum sentencias isto anno, Regni Sicilie et Aragonie.

Absolvimus priores conventuales Carnotensem, Compediensem, Blesensem, Rhemensem, Catalaunensem, Sennonensem, Lausanensem, Gebennensem, Masticonensem, Nanetensem, Dyanensem, Kamperliensem, Gandensem et Burgensem. Et isti tam priores provinciales quam conventuales non resumantur in eisdem provinciis vel conventibus ad eadem officia isto anno.

Ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro domino papa. Hec est ordinacio magistri ordinis facta post pronunciacionem actorum, quam vult cum diligencia observari.

Letania more solito dicatur.

Declaramus, quod ad diffinitores et non ad provinciales diffinicio sequentis capituli pertinebit.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Lemovicensi in provincia Tholosana, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis domini veniant. Nullus autem alius, eciam si licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante · vi ·am feriam festum pentecostes immediate precedentem. Summa missarum pro vivis quinquaginta novem. Summa missarum pro defunctis viginti. Assignamus, quantum nostra interest, ad legendum sentencias Parisiis fratrem Iohannem de Lovanio de provincia Francie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout communi utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Facimus vicarium in provincia regni Sicilie fratrem Franciscum de Aquila, priorem Aquilanum, donec prior provincialis electus confirmatus fuerit et in eadem presens extiterit.

Item. In provincia Dacie facimus vicarium generalem fratrem Mattheum priorem Wisbucensem.

Item. In provincia Aragonie facimus vicarium generalem fratrem Iohannem Fortis, magistrum in theologia, donec prior provincialis electus et confirmatus fuerit et presens extiterit in eadem.

Explicita acta capituli generalis apud Divionum Lugdunensis diocesis.

Actis additae sunt litterae Iohannis XXII cf. BO. tom. II p. 197. n. XCI litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXI.

---

<sup>2</sup> Fr. Ioannem Porcari Romanum; cf. MASETTI l.c.I.p. 321.